



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 11. An ex verbis instructionis sacrificium esse probetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Hoc est corpus sanctum, honoratum & vitale Domini, & Seruatoris nostri Iesu Christi, quod datur est in remissione peccatorum & ad vitam eternam consequendam, vere summentibus ipsum. Amen. Hic est sanguis Domini, & Seruatoris nostri Iesu Christi sanctus, honoratus & vivificans; qui datus est in remissionem peccatorum & ad vitam eternam consequendam, vere summentibus ipsum. Amen. Vere hoc est corpus, ut hic est sanguis Emmanuel Dei nostri. Amen. Credo, credo, credo ex nunc, & usque in seculum. Amen. Hoc est corpus, & hic est sanguis Domini, & Seruatoris nostri Iesu Christi, quod & quem assumpsit, ex Domina nostra sancta, & immaculata Virgine Maria, & univit cum diuinitate, sine mixtione, aut copula naturali, sine separatione aut permutatione diuinitatis, &c.

Beza aliquando etiam formam verborum consecrationis Caluinianos confudit. Duas homilias conscripsit, aduersus sacramentarium errorem pro vera Christi praesentia in cena Domini.

Ab his (inquit) dissentimus, qui pro re Sacramenti constituunt Christi *ἐκφύλαξιν*, & merita, ab ipso Christo seiuncta. Non enim dixit Christus Hoc est meritum corporis mei traditi pro vobis: sed hoc est corpus meum, & Hoc est sanguis meus. Nec temere additur *ἐκφύλαξιν*. Quod traditur pro vobis, & Qui funditur pro vobis. Ita ut apertius dici non potuerit, ipsummet Christum, cuius & corpus pro nobis traditum est, & sanguis pro nobis fusus, vere nobis in cena tradi, ad eternam vitam alimentum: Ac proinde rem illius Sacramenti esse illud ipsum corpus, quod pro nobis obtulit in cruce, & illum ipsum sanguinem, quem effudit pro peccatis nostris: tantum abest, ut symbolicum aliquod seu Typicum corpus, vel allegoricum sanguinem somnietur.]

Hæc ut contra alios sacramentarios recte dicuntur, ita parum sincere pro veritate proferuntur, constat enim Beza in hoc genere fraudulentia & æquiuocatio. Conatus est enim obscure & ambigue loqui, ut Lutheranus deciperet, imitatus τὸ στοιχιδες ἡ λογία. Obsecritatem oraculorum Apollinis.

In hanc sententiam Patres omnes etiam loquuntur. Consecrationem enim fatentur fieri Domini verbis, non aliorum. Itaque quicquid præter illa additur, ad caerimonias non essentiam pertinet. Sacerdos enim Christi personam in sacrificio obtinet, Christi igitur verbis sacramentum conficit, non alienis. Vide Florent. Concilium instruct. Armenorum. Quod in Basilii Liturgia post consecrationem oratur, ut sit corpus & sanguis Domini ad salutem fumentium, &c. Non dubitant de præsentia, sed oratione petunt præsentiam sibi fieri salutarem.

Responderunt in Florentino Concilio, non fieri, ut petat ratam esse consecrationem, sed sibi utilem. Videtur tamen in ea Liturgia aliqua facta mutatio. Quæ præterea obiciunt Græci, friuola sunt, & ad alia Scripturæ loca pertinent.

QVÆSTIO XI.

An ex verbis instructionis sacrificium esse probetur?

Sacrificium quid sit.

§. 1. Sacrificium *ἱερουργία, τελετή, θυσία*, externa est, & aspectabilis, aut sane sensibilis actio, qua res aliqua Deo offertur, ut ad eius cultum, & honorem aliquo modo immutetur, & cum publicum est sacrificium opus est id fieri à publico & legitimo ministro, publica & statuta caerimonia. In sacrificio itaque requiritur Concilium Tridentinum quatuor, offerentem, illum cui offertur, eum pro quo offertur, & id quod offertur. Sacrificium ita ex natura sua, & immediate continet significationem diuinitatis, & maiestatis omnium rerum conditricis & Domine. Ideoque nulli nisi vni, & soli Deo potest offerri. Hoc modo in noua lege est

sacrificium institutum. ut docetur Concil. Trid. Sess. 22. cap. 1. & prædixit Malach. as in omni loco offerendum. Quod necessario verum, propriumque nominis sacrificium dicendum est, ne proprio sacrificio, metaphora succedat, quæ cum illis, & in illis fuit semper. Fuit autem hoc sacrificium, quo Christus sub specie panis & vini corpus & sanguinem Deo Patri obtulit; Cum enim fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedec, qui panem & vinum obtulit, debuit etiam Christus panem & vinum offerre. Quod nunquam nisi in vltima illa cena fecisse legitur. Et hac quidem in re veteres omnes conueniunt, de quo Bell. l. 1. de missa c. 6. & in Genesi expolui. Nunc ex his ipsis verbis demonstrandum est. Verba Christi sunt. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Luc. 22. 1. Corinth. 11. Quod pro vobis frangitur. Matth. in remissionem peccatorum. Et de sanguine, dicit: Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effunditur, ut remissionem peccatorum. Deinde ait: Ille sanguinem novi Testamenti, nempe, respondentem cruentis sacrificiis veteris Testamenti. In Marco 14. & Luc. 22. Eodem vitæ verbo præfenti. Lucas autem & Paulus. Hic calix in sanguine meo. Fractio, datio effusio pro multis est sacrificium. Nam non fit aliqua immutatio pro multis à sacerdote Christo ad gloriam Deo à quo remissio peccatorum tanquam supremo Domino postulat. verum igitur sacrificium continet institutio Eucharistia.

Huic argumento respondet Beza, Kemnitius pag. 2. Examinis in Concil. Trident. in his verbis accipi præfens pro futuro. Nam & in canone Missæ est, effundetur. Deinde in Missa inquit, si sanguis effunditur est cruentum sacrificium. Imo Pareus de cena libro 1. cap. 10. sacrificium cruentum esse debere probat.

[Κρησφύγετον vero missificatorum quod Christum sacrificient ἀναμάρτητος in cruce, sine maculatione & morte: falsum est & ἀόριτον. Falsum, quia Bellarminus expresse scribit ad verum sacrificium requiri mortem, & destructionem rei oblata.]

Hinc ille concludit, vel sacrificium non esse vllum, vel necessario cruentum esse.

Respondet. Frequenter verba præsentis temporis futurum indicare, præter tim si res iam iam agitur, quæ proxime instat. Quin D. Chrysostom. D. Thom. quæst. 78. artic. 3. ad 7. ad immolationem in crucifixam referunt. Verum & in cruce, & in Eucharistia sanguis funditur, & corpus datur, imo in Eucharistia dabitur, & fundetur, de lege enim & Ecclesiæ consuetudine futura est sermo. ut hoc loco Mald. Iansen. Bellarminus lib. 1. cap. 12. de Missa recte argumentantur.

Quin hæc ratio est horum verbum, ut non ad crucis modo sacrificium, sed hanc effusionem referantur necesse. Tum quia *κλῶμενον* apud Paulum hæc magis pertinet, tum quia ex Luca clarissime conuincitur. Ille cap. 22. 20. sic habet τὸ ποτήριον ἡ καὶ ὁ κύπελλον. Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur τὸ ποτήριον calix ille, vel vili malum poculum illud effunditur, poculum illud in cruce non erat, iam præfens libabatur, in Dei honorem, nec tantum sumebatur. ut potus, sed pro illis sumebatur, ut sanguis victimæ. Non enim dicit vobis infunditur, sed pro vobis effunditur in remissionem, illa ergo effusio erat ad remissionem peccatorum. Hic vinum dicat effundi aduersarius, non tamen veritatem sacrificii, sed eius efficaciam sustulerit: nam & vitulorum sanguis effusus sacrificium erat. Beza aliter euadere non potuit, quam impugnando Spiritum sanctum.

[Cum hæc verba, inquit, si constructionem spectemus, necessario non ad sanguinem, sed ad poculum perti-

petineant, neque tamen de vino (ne dum de poculo) intelligi possint, aut manifestum est solocophanes cum dicendum fuerit: *Et in hoc poculo* ut legitur Basilias in Ethicis *ἐν τῷ ποτῷ*: aut potius quam haec essent ad marginem annotata ex Matthaeo & Marco, postea in contextum irreperunt: quod eo quidem factis est ad idem quod, cum in superiore versiculo adferretur, simile quippiam visum fuit ad sciendum, ubi a nar de sanguine. Sed hoc non additur apud Paulum 1. Corinth. 11. 25. qui tamen videtur ex hoc loco descriptum esse constitutionem. Quia tamen hoc et in lege apud Syrum interpretem, & in omnibus, quos impeximus Graecis codicibus minime praeferimus & potest excusari solacismus, si ex Hebraeorum idiotismo *ἐν τῷ ποτῷ* exponatur *ἐν τῷ οὖν*.

Nemo contra omnium Latinorum, Graecorum, Syrorum codicum fidem ita sentit, sed ipse contextus Scripturam, a qua haec fin eius corrigi aequius erat. Hoc poculum est novum illud testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur. Eodem modo in Gallico esse tradit post Iacobus Gualterius. Reum igitur confitentem tenemus, non posse scilicet vilo modo haec finem consistere, nisi verba Scripturae evertantur. Neque vero adtem facit, quod ait posse excusari, si ex Hebraeorum idiotismo *ἐν τῷ ποτῷ* exponatur, *ἐν τῷ οὖν*. Nihil tamen illa capio prodest. Et si exponatur *ἐν τῷ οὖν*, quod effunditur, non tamen unquam faciet, ut *ἐν τῷ οὖν* iungatur cum dandi casu; *τῷ οὖν* nec Hebraei hoc habet, quod ille fingit. Participia & nomina conueniunt eodem in casu, & in Syro est hoc loco *ܐܢܬܐ ܡܬܚܝܠܐ*, & ad *ܕܢܐܠܐ* Cassi, calicem refertur, eodem modo sicut in Latino & Graeco. Sed de his vobis placet loco, nunc tantum modo hic sacrificium probari etiam iudicio Bezae & Caluini. Cum igitur Apostoli Christi corporis & sanguinis tanquam victimae facti sint participes, non potest victimam non fuisse immolata. Ideo hic immolatio vera fuit, verum igitur sacrificium.

§. 2. Quod Pareus ait, requiri veram mortem, & realem destructionem à Bellarmino libro primo, capite vigesimo septimo. vel malitia, vel sane vino ebris legit Bellarminum. Bellarminus enim refutat eos, qui dicebant rem quae sacrificatur oportere omnino delinere esse. Ex eorum igitur opinione ipsos refutat, non sua. Et capite 2. destructionem requirit.

§. 3. Secundo probatur. & §. 8. Diximus: Et transmutatur. Quia ad verum sacrificium requiritur, ut id quod offertur, in sacrificium, plane destruitur, id est, ita ut mutetur ut desinat esse id, quod ante erat: & in hoc maxime differt à simplici oblatione, quae interdum ritu mystico leuabatur coram Deo, sed non destruebatur, nisi quando vere sacrificabatur. De qua conditione plura diximus paulo superius in refutatione de Iohannis Caluini. Ratio autem huius rei duplex esse videtur. Una ob significationem corporis Christi. Deus enim, qui primus sine dubio inspirauit Abeli & aliis Sanctis viris verum sacrificium, voluit per ea sacrificia sacrificium omnium sacrificiorum praestantissimum adumbrari: illud autem morte & destructione rei oblata constabat. Altera ratio est, quia sacrificium est summa profectionis subiectionis nostra ad Deum & summus cultus externus, qui exhiberi posuit. Summa autem ista profectionis requirit, ut non solum usus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia: & ideo non solum usus, sed substantia consumatur.

His verbis Bellarminus mutationem, & consumptionem requirit. Verum nullo modo mactationem aut incensationem, se enim explicat. capite vigesimo septimo.

Tertio, inquit, per consecrationem, res quae offertur ad veram, realem & externam mutationem, & destructionem or-

dinator, quod erat necessarium ad rationem sacrificij. Nam per consecrationem corpus Christi accipit formam cibi: cibis autem ad commestionem, & per hoc ad mutationem & destructionem ordinatur. Neque obstat quod corpus Christi nullam in selesionem patiatur, neque esse suum naturale amittat, cum manducatur Eucharistia: nam amittit esse sacramentale, & prout desinit realiter esse in aliam, desinit esse cibis sensibili.

§. 3. Christus itaque immolatur, non ut est in propria specie, sed ut sub speciebus, & terminus consecratione factus. nec tamen Christus ut terminus nude sumptus est res oblata, sed ut sub speciebus, sicut enim est inuisibilis hostia, & ad cibum pertinet, huic itaque sacrificio species internae sunt pars etiam essentialis. Hoc igitur totum ex Christi corpore, & sanguine, & speciebus compositum post oblationem esse desinit. Sicut in sepulchro Christus homo esse desinit. Hinc sequitur idem hic oblatum quod in cruce, solis etiam accidentibus, & ut termini quodam respectu differt. Hic etiam sanguinem Christi offerri, nec dici inuentum absentia sanguinis & carnis Christi, sed mystica sanguinis effusione, quae in ore solito non exercetur, sed Deo offertur & in cibum datur, ut deinde sumptus sub speciebus & in loco esse desinat in quo fuit. Ipsa etiam consecratio habet rationem sacrificij, nam dum seorsum verbis panem, & vinum consecrat, mysticam, & spiritalem mactationem innuat. Atque haec est non modo recentium ut Patres calumniatur, sed veterum interpretatio. Cyprianus lib. 2. Ep. 3. Ambrosius Plal. 3. Augustinus Plal. 33. con. 2. Nylseni oratio. 1. de resurrectione. sic Andreas tyranno obiecit. Omnipotentis agnum immaculatum, quod die sacrificij.

Martialis Epist. ad Burdig. cap. 3. Ipse corpus habens & immaculatum & sine peccato, qui conceptus est de Spiritu Inueniunt sancto, natus ex Maria Virgine, in ara crucis ipsum permixtus est sacrificij immolari. Quod autem Iudei per inuidiam immolauerunt, cum putantes se nomen eius a terra abolere, nos causa salutis nostrae, in ara sanctificata proponimus scientes hoc solo remedio nobis vitam praestandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem.

Quomodo inuentum sit ostendit Clemens Romanus lib. 6. constit. cap. 23. *Ἀλλήλοισ ἐν δὲ ἀμύκτων λογικῶν καὶ ἀνιδυνάτων ἐν τῷ μυστικῷ ἡμῶν εἰς τὸ θάνατον ἔνοχον σὺν ἑσχατῷ χρεὶν ἀπὸ τῆς ἐκείνου ὁμοιωμένης καὶ ἀμύκτων*, id est, pro sacrificio cruento rationale & inuentum, atque illud mysticum sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod in Symbolum mortis eius celebratur.

Alexander Papa 1. Epistol. 1. ad omnes orthodoxos. In Sacramentorum quoque oblationibus, quae inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut eius, cuius corpus & sanguis conficitur passio celebretur. Et paulo post: Talibus hostiis delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificijs maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi. Nec ulla oblatio, hac, potior est, sed hac omnes praecellit. Quae pura conscientia Deo offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda. Et sicut est potior carere, ita potius excoli, & venerari debet.

Irenaeus libro quarto, capite decimo tertio. Sed & suis discipulis datus consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec instructi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens. Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quae Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offerri Deo, ei qui alimenta nobis praestat primitias suorum munerum in nouo Testamento, de quo in duodecimo Prophetis Malachias sic praesignificauit. Nō est

mili

